INNOCENTIUS PP. XII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM Nuper pro parte Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Nobis per dilectum filium nobilem virum modernum Ducem de Medina Coeli ipsius Caroli Regis apud Nos et Sedem Aplicam Oratorem expositum fuit, quod aliàs fel. rec. Innocentius PP. XI. Praedecor noster Hospitali Innocentium nuncupato Civitatis Hispalen de aliculus subventionis auxilio providere volens, eidem Hospitali unam pensionem annuam mille et quingentorum duca=torum monetae Hispaniae super fructibus, redditibus, et proventibus Mensae Archiepalis Hispalen. quae de iure patronatus ipsius Caroli Regis ex privilegio Aplico, cui non inveniebatur eatenus in aliquo derogatum esse dignoscebatur, ad decennium tunc proximum tunc duraturam sub certis modo et formâ tunc expressis reservavit, constituit, et assignavit, et aliàs prout in eiusdem Innocentii praedecoris litteris desuper sub plumbo expeditis uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat decennii, ad quod pensio pta sicut praemittitur reservata fuit, finis immineat, nec tamen causae propter quas reservatio pensionis huiusmodi facta fuit adhuc cessaverint, cupiatque propterea dictus Carolus Rex eandem pensionem ad aliud decennium à Nobis prorogari, quemadmodum Venlis frater modernus Archiepus Hispalen suum ad id consensum iam praestitit. Nos ipsius Caroli Regis votis hac in re quantum cum Dno possumus favorabiliter annuere volentes, ac dilectorum filiorum modernorum Oeconomorum seu Administratorum eiusdem Hospitalis singulares personas à quibusvis excomnis, suspen. et interdicti, aliisque eccliis senten. cen. et poenis à iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatae exant., ad effum pntium dumtaxat consequen harum serie absolventes, et absolutas fore censentes supplicibus eiusdem Caroli Regis nomine Nobis per memoratum Ducem humiliter porrectis inclinati, de Venlium fratrum nrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, et attento consensu prorogationi huiusmodi à supradicto Archiepo sicut praemittitur praestito, reservationem, constitutionem et assignationem supradictas pensionis annuae mille et quingentorum ducatorum monetae Hispaniae super fructibus, redditibus, et proventibus dictae Mensae Archiepalis Hispalen Hospitali supradicto à memorato Innocentio Praedecore factas, vigore praesentium ad aliud decennium ab ultima die primodicti decennii computandum (servatâ caeteroquin praedictarum litterarum formâ, et dispositione) auctoritate Aplica tenore praesentium extendimus et ampliamus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et Hospitali et Oeconomis seu Administratoribus pdictis in omnibus et per omnia plenissimè suffragari. Sicque in praemissis per quos=cumque Iudices Ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Aplici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in supradictis Innocentii Praedecoris litteris concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die vii. Maii MDCXCIV. Pontus Nostri Anno Tertio

J. F. Card. Albanus

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

Bulla de N. S.or Innoc.o
12 su Data a 7 de Mayo
de 1694, Prorrogando –
la Gracia de la Pension
de 1500 duc.s ann.s de los
r.tas deste Arzobisp.do –

N 32.

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

DIPUTACION PROVINCIAL SEVILLA
ARCHIVO

PERGAMINOS, 795
Hospital de los Inocents, leg. 5